Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b29313119

Para el dia 7 de Abril à las 9 dela
Mañana en la R.l Universidad



OLIVA SPECIOSA IN CAMPIS

†

ASSERTIONES
PHILOSOPHIÆ MENTIS, ET SENSUUM MECHANICÆ, AD USUS PHYSICOS ACCOMMODATÆ:
ATQUE ALIÆ
PHYSICO-THEOLOGICÆ
JUXTA
MENTEM RECENTIORUM
PROPUGNANDÆ

IN hac Regia, ac Pontificia D. Caroli Guathemalana Academia, D. O. M. ejusque Immaculata Genitrice B. V. M. faventibus. Præses aderit *P. Fr. Joseph Maria â Jesu Mont* pro Subt. Doctor. Philosophiæ Cathedræ in eadem Academia Moderator. Die

menſis anni Domini MDCCLXXXVIII.

Cum Superiorum facultate.

In Typographia apud Viduam D. Sebaſtiani de Arevalo.

314264

✝

Cunctorum & allicit, & rapit oculos
HAEC ARBOR UNA.
Forma conſpicua, viriditate pollens,
Fronde praeſtans,
Nullam non praesefert pulchritudinem.
Ad eam adjacet ſerpens;
At enim vero non ut in paradiso voluptatis.
Ibi primam fefellit Evam, & irridit;
Hic ſecundam & formidat, & terret.
Callidior prae cunctis beſtia!
Et vel inter ipſas icirco triſtior.
Illius Arboris malo caſum tulit homini.
Hujus tamen Arboris germine
Caſus homo surrexit,
Ceciditque & ſerpens ipſe
Aeternum haud caput erecturus.
Noxiale pomum ſi protulit illa,
Isthaec vitae germinat fructum
Omnis ejus succus, eximiae virtutis oleum.
Nec aliud ex ea quam pretioſa unguenta,
Quorum inaeſtimabilis odor ſuper omnia aromata.
Singularis plane, cui silva parem nulla profert,
OLIVA SPECIOSA IN CAMPIS,

BMA. V. M. IMMACULATE CONCEPTA.

Cujus originalem pulchritudinem, gratias, dotes, virtutes, ſub olivae specie per Spiritum Sanctum myſtice deſignatas, ſummo amore, ſummaque animi religione venerans *D. D. Franciſcus de Fuentes* has universae Philoſophiae Theſes, etſi leviſſimum munus, ejus ad aras humilis referendas ducit.

§. I.
DE PROPOSITIONE.

1. Attributum in propoſitione affirmativa dicitur de ſubjecto ſecundum ea omnia, quæ in notione ipſius prædicati continentur.
2. In propoſitione negativa non removetur à ſubjecto, quidquid relucet in conceptu prædicati diviſim ab aliis ſumptum, ſed tota collectio eorum, quæ in ipſius prædicati notione continentur.
3. Attributum in propoſitione affirmativa ſumitur ſecundum tantam præciſe extenſionem, quantam in ipſa propoſitione habet ſubjectum.
4. Si extenſio prædicati abſoluti ſumpti major fuerit extenſione ſubjecti, prædicatum non ſumitur in propoſitione ſecundum integram ſuam extenſionem.
5. Attributum in propoſitione negativa removetur ab omni eo, quod continetur in extenſione ſubjecti.
6. Attributum in propoſitione negativa ſemper ſumitur ſecundum integram ſuam extenſionem.
7. Incidens vocatur propoſitio, quæ per pronomina relativa *qui, quae, quod* exprimitur, alterique jungitur, quæ principalis nuncupatur.

§. II.
DE LOGICA.

8. Vulgaris opinio eſt, omnium tam veterum, quam recentiorum Philoſophorum firmata conſenſu, Logicam ex ſe, ſive natura ſua, reſpicere humanam mentem.
9. Logica in conſideratione rei ita verſatur, ut ferme omnia, quæ tradit ex certis, evidentiſſimisque principiis colligat, nitideque demonſtret.
10. Logica in vero inveſtigando contemplandoque tota poſita eſt, in eoque jam cognito plane quieſcit.
11. Finis extrinſecus Logicæ eſt ſcientiarum acquiſitio.

§. III.
DE CORPORE PHYSICO.

12. Corpus eſſe ſuſtantiam natura ſua ſolidam, adeoque entitative extenſam, ac propterea diviſibilem in partes, menſurabilem, capacem cujuslibet configurationis, combinationis, ſive texturæ propugnamus.

13. Nequeunt plura ita phyſice uniri, ut totum entitative extenſum conſtituant, niſi ſint impenetrabilia.

14. Naturalis impenetrabilitas eſt ratio cur plura ita ſimul uniri poſſint, ut totum entitative extenſum ex illorum unione conſurgat.

15. Extenſum dicitur illud, quod plures partes complectitur ea ratione unitas inter ſe, ut unius entitas, extra entitatem alterius tota exiſtat.

16. Ratio formalis corporis phyſici neque in extenſione, neque in diviſibilitate, & menſurabilitate poteſt jure conſtitui.

17. Naturalis impenetrabilitas eſt attributum ſubſtantiæ corporeæ prius entitative ejusdem extensione.

18. Formalis ratio corporis phyſici poſita probabiliter eſt in naturali exigentia occupandi locum impenetrabiliter.

§. IV.
DE CORPORIS MAGNITUDINE

19. Rem certam puto, corporis magnitudinem in eo formaliter consiſtere, per quod unum corpus, ſi alteri conferatur, dicitur illi æquale, vel inæquale.

20. Magnitudo corporis non consiſtit formaliter in illius impenetrabilitate.

21. Magnitudo corporis nihil eſt diverſum ab entitativa ipſius corporis extensione.

22. Subſtantia corporis entitative extensi habet ex ſe, ſive independenter ab omni accidente abſoluto ſuperaddito, partes integrales, in quas reipſa ſecari poteſt.

23. Magnitudo, sive entitativa corporis extensio non eſt accidens abſolutum in ſenſu ſcholaſtico, ab ipsius corporis ſubſtantia realiter diſtinctum.

24. Incertum eſt, an corporea magnitudo dividi poſſit re-ipſa in ſemper diviſibilia, num vero ex minimis penitus inextenſis componatur.

25. Inſolubilia ſunt momenta, quæ ſtant pro parte ſententiæ Rigido-Peripateticæ.

26. Solvi porro minime poſſunt momenta, quibus pars Zenonis innititur.

§. V.
DE FIGURA CORPORIS.

27. Figura nihil eſt aliud, nisi certa ipſius corporis modificatio, quatenus ſecundum trinam dimenſionem extenſum eſt.

28. Reſultat figura ex eo unicé, quod corpus ipſum una, vel pluribus ſuperficiebus undique circumſcribatur.

29. Situs autem eſt certa quædam poſitura, ordo, combinatio, textura, sive artificioſa moleculatum diſpoſitio in toto, quod ex illis intrinſecus conſtituitur.

§. VI.
DE LOCO CORPORIS.

30. Nullum eorum haberi poteſt pro loco corporum, quod localiter moveri poteſt.

31. Nomine ſpatii non aliud intelligimus, nisi negativa penetrabilis, indiſcerpibilis, interminata, penitusque immobilis, ſecundum trinam dimenſionem extenſio, in qua exiſtentia corpora modo poſita ſint, quamque, ſi in nihilum redigerentur, ipſa relinquerent.

32. Poſſibile eſt ſpatium, in quo nullum plane corpus exiſtat.

33. Corpora non ideo ſunt in loco, quod â concava alterius corporis ſuperficie circumſcribantur.

34. Poteſt corpus mutare locum abſolutũ, quin mutet relativũ.

35. Nullum eſt vacuum, ſi nihil ſpatii, quod ab aliquo corpore non occupetur, intra univerſum exiſtat.

36. Vacuum coacervatum adeo repugnare, ut nec divina quidem virtute haberi queat, apertiſſima Carteſii ſententia eſt, quæ à nobis prorſus falſa reputatur.

37. Newtonus docet, non ſolum non repugnare vacuum coacervatum, ſed reipſa in mundo exiſtere, ſed nulla firma ratio eſt, quæ nos adducat, ut illum credamus.

38. Certum putamus, vacuum coacervatum divina virtute poſſe exiſtere, quamvis reipsa non detur in mundo.

39. Viribus naturæ haberi nequit in mundo vacuum coacervatum.

40. Datur vacuum diſſeminatum, nempe ſpatiola corpuſculis intercepta, quæ jam non alio corpore oppleta, ſed penitus inania ſunt.

§. VII.

DE PRINCIPIIS INTRINSECIS CORPORIS NATURALIS.

41. Principia intrinſeca compoſiti naturalis ea omnia dicuntur, ex quibus compoſitum ipſum eſſentialiter conſtituitur.

42. Principia corporis naturalis primaria ſunt illa, ex quibus ipſum corpus ita conſtituitur, ut ea ſimul, ex aliis, in quæ reſolvi poſſint, minime componantur.

43. Mechanica vero principia appellamus, quæ ita naturale compoſitum conſtituunt, ut omnes ſenſibiliter illius proprietates, atque operationes ex partium magnitudine, figura, motu, quiete, & ſitu proveniant.

44. Datur per actionem agentis creati mutatio unius compoſiti naturalis in aliud eſſentialiter diverſum.

45. Compoſitum quodcumque naturale, quod, naturæ viribus, eſſentialiter produci, & deſtrui poteſt, ex duplici principio eſſentialiter conſtat, quorum alterum determinativum eſt, alterum ſubjective determinabile.

46. Naturale quodcumque compoſitum pure corporeum conſurgit eſſentialiter ex corpuſculis quibusdam exiliſſimis, inæqualis magnitudinis, & diverſæ figuræ artificioſe diſpoſitis inter ſe, atque unitis, quorum inſuper aliqua jugi motu prædita ſunt, alia plane quieſcunt.

47. Corpuſcula, ex quibus ſenſibilia compoſita eſſentialiter coaleſcunt, non ſunt ſubſtantialiter inter ſe diverſa.

48. Sumpta ſubſtantia pro ente per ſe exiſtente, forma eſſentialis compoſitorum naturalium vita expertium non eſt entitativè ſubſtantia.

49. Forma eſſentialis compoſitorum naturalium, quæ vita carent, nihil eſt diverſum, ſi phyſice ſpectetur, à mechanicis affectionibus illorum corpuſculorum, ex quibus ipſa corpora eſſentialiter compoſita eſſe, posuimus.

50. Phyſica natura materiæ primæ in eo poſita eſt, ut ſit ſubſtantia natura ſua impenetrabilis, indefinité extenſ.

51. Licet materia prima ſit corpus phyſicum, non propterea eadem omnino eſt utriusque notio.

52. Compoſita quæque naturalia habent à ſola materia, ut ſint corpus phyſicum.

§. VIII.
DE PRINCIPIIS SENSIBILIBUS.

53. Senſibilia naturalium rerum principia dicuntur ea, quæ ita res ipſas conſtituunt, ut ſeparari reapſe à ſe mutuo poſſint, ſenſuumque miniſterio diſcerni.

54. Spiritus, ſive mercuricis, eſt ſubſtantia quædam ſubtiliſſima, & maxime vivida, à qua mixtorum omnium motus immediate proveniunt.

55. Sulphur eſt ſubſtantia quædam pinguis, viscida, ſive oleaginoſa, per quam habent mixta, quæ ea abundant, ut flammam concipiant.

56. Sal eſt corpus rigidum, per ſe primo ſapidum, & aqua ſolubile.

57. Aqua, quæ etiam phlegma vocari plerumque ſolet, eſt ſubſtantia fluida, maxime humida, inodora, insipida, ac prorſus iners.

58. Terra demum, quam plerique caput mortuum appellant, eſt ſubſtantia arida, fixa, inſipida, ac nulla prorſus activitate donata.

59. Ignis, ſive calor naturali compoſito applicatus, illudque deſtruens, nullam novam ſubſtantiam per ſe producit, ſed tantum texturam laxat, & nexum ſolvit, quo componentia

principia ſimul colligata detinebantur.

60. Terra, aqua, ſal, ſulphur, & mercurius in illo compoſito naturali entitativé, ſive quoad propriam formam exiſtunt, ex quo caloris actione eliciuntur.

61. Terra, aqua, ſal, ſulphur, & mercurius, quantumvis magna cura, ac diligentia in perficienda corporum analyſi adhibeatur, omnino pura haberi non poſſunt.

62. Terra, aqua, ſal, ſulphur, & mercurius non ea doſi ſunt in compoſitis naturalibus, ut eadem prorsus illarum ſubstantiarum copia in ſingulis exiſtat.

63. Ex calore, frigore, humiditate, & ſiccitate, quacumque ratione componantur inter ſe, eæ omnes proprietates, atque vires derivari non poſſunt, quæ in compoſitis naturalibus deprehenduntur.

64. Sola quatuor vulgaria elementa, terra ſcilicet, aqua, aer, & ignis, non ſunt immediata intrinſeca principia compoſitorum naturalium.

65. Terra, aqua, ſal, ſulphur, & mercurius ſunt principia intrinſeca immediata compoſitorum naturalium.

66. Subſtantia terrea ſe habet in compoſito naturali, ut *ſubjectum;* ſalino-ſulphureo-mercurialis, ut *forma.* humida verò, ſive phlegmatica, tamquam *vinculum*, quo ſubſtantia ſalino-ſulphureo-mercurialis, ſimul cum terra colligata in ipſo compoſito detinetur.

§. IX.

DE QUALITATIBUS SENSIBILIBUS.

67. Senſibile dicitur illud, quod, qua tale formaliter, externorum ſenſuum organa immutare ea ratione poteſt, ut illius notio, ſeu perceptio paſſionem ipſam externi ſenſorii in anima conſequatur.

68. Qualitas ſenſibilis ea corporis affectio eſt, per quam formaliter corpus ipſum eſt ſenſibile.

69. Affectio, quæ excitatur in anima, cum aliquid ſentimus, nempe, ſenſatio ipſa, ſive ſenſibilis rei perceptio non eſt qualitas ſenſibilis.

70.

70. Paſſio in externo ſenſorio à re ſenſibili excitata, diſtinguitur à qualitate ſenſibili.

71. Qualitates actuoſæ ſunt, quæ propagantur per medium, & ita agunt in externa corpora, ut mutationem aliquam in illis efficiant.

72. Modales cenſentur, quæ nihil agunt extra, nihil moliuntur, ſed ſubjectum dumtaxat, cui inſunt, determinant.

73. Senſorium, ſive organum ſenſus externi dicitur exterior illa pars humani corporis, quæ ſi ex ſenſibilis rei appulſu immutata fuerit, ea in nobis affectio, quam ſenſum, ſive ſenſationem dicimus, excitatur

74. Immutatio externi ſenſorii ex rei ſenſibilis appulſu proveniens, quam ejuſdem rei ſenſatio in anima conſequitur, nihil eſt aliud, phyſice loquendo, niſi motio quædam fibrarum nervearum ſenſorium ipſum immediate conſtituentium.

75. Ex immutatione externi ſenſorii facta à re ſenſibili, nulla ejuſdem rei in nobis excitatur ſenſatio, niſi immutatio ipſa cerebro communicetur.

76. Qualitas ſenſibilis in eo phyſice poſita eſt, ratione cujus habet corpus, ut nerveas externorum ſenſoriorum fibras movere poſſit; eaſque certa ratione premere, & vellicare.

77. Quod in ſenſatione, objecti inſtar, nobis immediate obverſatur, non eſt res ipſa ſenſibilis, ex cujus appulſu, prout ad ſenſationem ipſam excitandam opus eſt, externum ſenſorium afficitur, ſed tantum paſſiva ipſius ſenſorii immutatio.

78. Nullum accidens abſolutum in ſenſu Scholaſtico (ſi quod exiſtit) eſt ens ex ſe immediate ſenſibile.

79. Tota ſenſibilitas cujuſque compoſiti ex eo unice provenit, quod ex corpuſculis ſolidis, ſeu impenetrabilibus, certa magnitudine, & figura affectis, diverſa ratione, ſimul artificioſe intextis, motuque, aut quiete donatis, eſſentialiter componatur.

80. Qualitates corporum ſenſibiles ex mechanicis materiæ affectionibus unice proveniunt.

§. X.

§. X.

De ſenſibilitate panis, & vini in Euchariſtia.

81. Stant omnia, quæ circa venerabile Euchariſtiæ Sacramentum catholica docet Eccleſia, licet ſenſibiles panis, & vini, adeoque omnium naturalium corporum qualitates non ſint accidentia abſoluta in ſenſu ſcholaſtico, ſed ex mechanicis materiæ affectionibus unice repetantur.

I.

82. Realis præſentia Chriſti Domini in venerabili Euchariſtiæ Sacramento non exigit, ut qualitates ſenſibiles panis, & vini ſint accidentia abſoluta in ſenſu ſcholaſtico.

II.

83. Stare optime poteſt tranſubſtantiatio, licet qualitates ſenſibiles panis, & vini non ſint accidentia abſoluta in ſenſu ſcholaſtico.

III.

84. Accidentibus abſolutis opus nequaquam eſt, ut corpus, & ſanguis Chriſti ſub panis, vinique ſpeciebus in Euchariſtia habeantur, nobiſque ſe prodant.

IV.

85. Eadem ipſa accidentia non requiruntur, ut Euchariſtia verum ſit Sacramentum.

V.

86 Abſolutorum accidentium exiſtentia evinci ex Veteribus Patribus minime poteſt.

VI.

87. Neque Theologorum authoritate poteſt evinci, panis, vinique ſenſibilitatem, ſub qua Chriſtus Dominus in Euchariſtia exiſtit, oriri ex accidentibus abſolutis.

VII.

88. Hactenus definitum non eſt ab Eccleſia, dari abſoluta Scholaſticorum accidentia, ex quibus divinitus in Euchariſtia remanentibus, ea oriatur panis, vinique ſenſibilitas, ſub qua Chriſtus Dominus verè realiter, & ſubſtantialiter in hoc Sacramento exiſtit.

§. XI.

§. XI.
DE QUALITATIBUS TANGIBILIBUS.

89. Conſiſtens dicitur corpus, quod ſibi relictum non diffluit, ſed veluti ſponte, quamcumq. illi dederis, figuram ſervat.

90. Illud corpus philoſophice durum eſt, cujus partes adeo ſunt inter ſe unitæ, ut nullum prorſus, ne minimum quidem, ſpatium vacuum, vel perinde ac vacuum, intercipiant.

91. Molle philoſophicé ab eo non differt, quod durum vulgo cenſetur.

92. Perfecté durum eſt corpus quod eſt perfecté continuum.

93. Nullum cōpoſitum,ſive artetactum eſt durū philoſophicé.

94. Corpuſcula rerum primitiva durum corpus non conſtituunt hoc ipſo dumtaxat,qd juxta ſe invicem poſita plane quieſcāt.

95 Durities corporum ſenſibilium non eſt accidens abſolutum in ſenſu ſcholaſtico.

§. XII.
DE FLUIDITATE CORPORIS.

96. Corpus fluidum dicitur illud, quod ſibi relictum, diffluit quoquo verſus, & cuique figuræ faciliimè ſe accommodat.

97. Fluidum quodcumque ex reipſa diviſis, & à ſe mutuo diſſociatis particulis immediate componitur.

98. Duræ ſunt illæ partes, quæ diviſæ, & à ſe mutuo diſſociatæ fluidum corpus conſtituunt.

99. Partes igitur, quæ diviſæ à ſe mutuo, & diſſociatæ fluidum corpus immediate conſtituunt, vel ſphærica, vel quæ ad ſphæricam quammaxime accedit, figura ſunt affectæ

100. Corporum fluiditas eſt affectio purè mechanica, non vero accidens abſolutum in ſenſu ſcholaſtico.

§. XIII.
DE DENSITATE CORPORIS.

101. Volumen corporis eſt ſpatium ab ipſo corpore occupatum ejusque extima ſuperficie comprehenſum

102 Abſolute denſum dicitur corpus, cujus materia tanta eſt, quanta in ſpatii extima ipſius corporis ſuperficie comprehenſa, eſſe poteſt.

103. Abſolute denſum non eſt corpus, ſi aliud æqualis voluminis, quod ſit illo ponderoſius, dari poſſit.

104. Partes corporis abſolute denſi, ita ſe habent, ut nullũ planè ſpatiolum, qd ab earum aliquà nõ repleatur, intercipiant.

105. Creſcit corporis denſitas, quo magis, manente eadem materia, ſive eodem pondere, illius volumen minuitur.

§. XIV.

DE RARITATE CORPORIS.

106. Corpus dicitur rareſieri, quando, manente eadem materiæ quantitate, illius volumen augetur.

107. Particulæ, quibus conſtat corpus abſolute rarum ea ratione ſimul intextæ ſunt, ut ſpatiola intercipiant.

108. Corpus eſt abſolute rarum hoc ipſo præcisé, qd ſit poroſũ.

109. Abſolute rarum poteſt eſſe corpus, quin plane vacua ſint ſpatiola, quæ componentibus illius particulis interjiciuntur.

110. Raritas corporis à componentium particularum magnitudine, figurà, & ſitû unicé dependet.

111. Corporis rareſactio ex eo præcisé fit, quod vel dilatentur illius pori, vel novi pori in illo producántur.

112. Pori ſunt exilliſſima quædam ſpatia, cõponentibus corporis particulis interjecta, ac per totam illius molem diſſeminata.

§. XV.

DE CALORE.

113. Calor non conſiſtit in motu celeri, perturbato, & expanſivo partium corporis incaleſcentis.

114. Calor in ea entitate poſitus formaliter eſt, cujus vi, & energia, dilatantur corpora, quæque, eorumque internæ partes perturbaté agitantur.

115. Definitio caloris, quæ vulgô à Scholaſticis traditur nobis minime placet.

116. Calor nihil eſt diverſum à corpuſculis mole exiliſſimis, figura rotũdis, celérrimo, expanſivo, perturbatoq. motu affectis.

117. Corpus itaque actu calidum eſt, quatenus plura in ſe continet corpuſcula, prædictis motibus agitata.

118. Calorificum dicitur corpus, quatenus ex illo erumpunt quo-

quoquoverſus ſupradicta corpuſcula.

119. Particulæ, in quibus celerrimè, expanſivè, & perturbate agitatis calor conſiſtit, ſunt corpuſcula sulphuris elementaris.

120. Calor non æque facile omnia corpora penetrat, ſed difficilius pervadit dura quam fluida.

121. Calor eſt ſubſtantia impenetrabilis; non vero accidens abſolutum in ſenſu ſcholaſtico.

§. XVI.
DE FRIGORE.

122. Licet corpus, cujus partes quieſcunt, non ſit calidum, non propterea frigidum cenſendum eſt.

123. Frigus in ſola ignis, ſive caloris privatione haudquaquam conſiſtit.

124. Frigus eſt aliquod reale poſitivum, quod minime inter accidentia abſoluta Scholaſticorum locum habet.

125. Frigus conſiſtit in corpuſculis, mole exiliſſimis, eaque figura affectis, quæ ſit planis ſuperficiebus, acutos, aut rectos ſolidos angulos conſtituentibus, terminata.

126. Subtiliſſimæ primitivæ particulæ ſalium elementarium, ſed præcipue nitri, ſunt exilia illa corpuſcula, in quibus frigus conſiſtit.

§. XVII.
DE HUMIDITATE, ET SICCITATE.

127. Corpus humectans dicitur illud, quod particulis corporum, quorum ſuperficiem tangit, vel poros penetrat, adhæret, ipſaque corpora madida efficit.

128. Omne corpus humectans fluidum eſt; at non viciſſim omne corpus fluidum eſt humectans.

129. Idem liquor poteſt eſſe humectans, ſi ad unum; minime vero, ſi ad aliud corpus referatur.

130. Siccitas non eſt qualitas, ſeu accidens abſolutum in ſenſu ſcholaſtico.

131. Siccitas ergo corporum tam ſolidorum, quam fluidorum in ſola privatione conſiſtit.

§.

§. XVIII.
DE ODORIBUS, EFFLUVIIS, ET ATMOSPHÆRA.

132. Odor ea corporis affectio eſt, per quam, ab odoro corpore quoquoverſus diffuſam, organum olfatus immutatur.

133. Corporis effluvia dicuntur corpuſcula quædam ſubtiliſſima, quæ ex corporis poris, fumi inſtar, erumpunt, & quoquoverſus veluti in orbem diſperguntur.

134. Odor conſiſtit in quodam effluvio volatilis ſubſtantiæ ſulphureo-mercurialis, cujus particulæ â magnitudine, & figura habent ut ſint odora.

135. Atmoſphæra corporis eſt ſpatium ab illis effluviis, veluti in orbem circa ipſum corpus diffuſis, occupatum.

§ XIX.
DE SAPORIBUS.

136. Corpus ſapidum dicitur illud, quod linguæ impoſitum, eam, quam guſtus vocamus, ſenſationem in nobis excitat.

137. Sapor eſt ea corporis affectio, per quam habet corpus, ut guſtus organum immutet.

138. Solidorum corporum, etſi ſapida ea ſint, nullus plane ſapor percipitur, ſi lingua, vel nimis arida fuerit, vel nimio humore turgida.

139. Sapor à ſalinis ſapidi corporis particulis primario depêdet.

140. Diſcrimen ſpecificum ſaporum à magnitudine, & figura corpuſculorum repetendum eſt.

§. XX.
DE SONO.

141. Sonus primitivus conſiſtit in motu tremulo exiguarum partium corporis ſonori.

142. Tremor eſt frequens vibratio, ſeu frequens, & repetita tenſio, & reſtitutio ejus, quod tremere dicitur

143. Sonora ea dicuntur corpora, quæ colliſa inter ſe mutuo, aut percuſſa, ſonus ſenſum in nobis excitant.

144. Sonus primitivus eſt illa affectio in ſonoro corpore, dum per-

percutitur, excitata, ratione cujus ab eo fit, ut immutetur auditus organum, & ſoni ſenſatio in anima contingat.

145. Sonus derivativus eſt affectio producta in medio à corpore ſonoro, dum percutitur, perque ipſum medium ad aures uſque propagata, quam auditorii ſenſorii immutatio immediate conſequitur.

146. Sublato aere, nullus ſentitur sonus, licet ſonorum corpus valide percutiatur.

147. Solus aer eſt medium, per quod ſonus ad aures defertur.

148. Sonus ad aures per aerem defertur quatenus tremor exiguarum partium ſonantis corporis communicatur aeri, & per ipſum ad aures uſque propagatur.

149. Soni per aerem propagatio, momento temporis prorſus indiviſibili non perficitur.

§. XXI.
DE LUCE.

150. Corpus lucidum dicitur illud, quod ipſa ſua natura tale eſt, ut lumen emittat.

151 Lux primitiva eſt illa affectio, per quam formaliter corpus eſt luminoſum.

152. Lux derivativa eſt affectio illa, ſeu qualitas, quæ per medium à lucido corpore diffusa, atque ad oculos uſq. propagata, efficit, ut circũſtãtia corpora, alioquin incõſpicua videantur.

153. Corpora plurima, quæ natura ſua minime lucida ſunt, lumen emittunt, quam primum ſubtiliores eorum partes celerrimum concitatumque motum concipiunt.

154. Lux corporis primitiva in concitatiſſimo quodam motu ſubtilium partium ejusdem probabiliter conſiſtit.

155. Lux derivativa conſiſtit in motu vibratorio cujuſdam ſubtiliſſimæ, fluidiſſimæ, apprime elaſticæ, atque in immenſum quoquoverſus diffusæ ſubſtantiæ, ab agitatis innatantis lucidi corporis partibus illi impreſſo.

156. Hæc ſubſtantia ab aere prorſus diverſa, creata fuit à Deo, replet immenſa cœlorum ſpatia, exiliſſimosque cujusvis corporis poros penetrat.

§. XXII.
DE OPACITATE, ET DIAPHANEITATE.

157 Diaphanum dicitur corpus, quod lumini ſecundum omnem directionem ita pervium eſt, ut non impediat, quo minus colorata objecta trans illud conſpiciantur.

158. Opacum dicitur corpus, quod lumini eſt ita impervium, ut poſitum inter oculum, & rem viſam omnino prohibeat, ne illa diſcernatur.

159. Sola mutatione texturæ, tranſit in opacū, qd diaphanū eſt.

160 Primitivæ rerū omnium cōponentes particulæ ſunt opacæ.

161. Opacitas, & diaphaneitas corporum ſenſibilium non ſunt accidentia abſoluta in ſenſu ſcholaſtico.

162. Corpora ſunt diaphana à recta pororum poſitione, ſecundum omnem directionem.

163. Nullum eſt, nec eſſe poteſt corpus ſenſibile, ſeu fluidum, ſeu ſolidum, perfectiſſime diaphanum.

§. XXIII.
DE COLORIBUS.

164. Coloratum dicitur objectum, quod lumine perfuſum, ita viſus organum afficit, ut eam, quam coloris vocamus, ſenſationem in nobis excitet.

165. Color objectivus eſt illa corporis affectio, ratione cujus ipſum corpus tale eſt formaliter, ut ſi perfuſum lumine fuerit, coloratum appareat.

166. Id, quo coloratum objectum immutat organum viſus, & coloris ſenſum in nobis excitat, nihil prorſus ab eo lumine diverſum eſt, quod objectum ipſum in oculum reflectit.

167. Corpus opacum apparet album, quatenus ſingulæ, aut ferme ſingulæ extimæ illius particulæ radium puræ lucis in oculum reflectunt.

168. Nigrum apparet corpus opacum ob id duntaxat, quod nihil illius luminis, quo ejus ſuperficies perfunditur, in oculum reflectat.

169. Corpora alba lumen, quod in eorum ſuperficiem cadit, ferme totum reflectunt, nigra abſorbent.

170. Coloratum evadere poteſt corpus, quin entitas aliqua abſoluta in illo producatur.

171. Mutatur congenitus corporis color hoc ipſo tantum qd mutetur textura integralium partium ipſius corporis; certaq. magnitudine, atque figura partes ipſæ afficiantur.

§. XXIV.

DE ANIMA SENTIENTE.

172. In animali machina exiſtere quamdam ſubtiliſſimam ſubſtantiam concurrentem ad naturales, & animales functiones, affirmamus.

173. Anima ſentit, quia paſſionem corporis, cui juncta eſt, immediate percipit.

174. Senſatio non fit in ea corporis parte, quæ à re ſenſibili immutatur, ſed tantum in cerebro.

175. Ex cerebro ii nervi ortum ſuum habent, qui ſpontaneis motibus peragendis, deſtinati ſunt; ex cerebello oriuntur, qui functionibus imperio animæ minime ſubjectis interviunt.

§. XXV.

DE BELLUARUM ANIMA.

176. Falsam illam ſententiam putamus, quæ aſſerit, animam Belluarum adveniſſe ab extrinſeco, poſt jam formata earum corpora; producitur enim ſimul cum bellulno corpore.

177. Animam Belluarum eſſe ſubſtantiam indiviſibilem, ñ ſuſtinemus: habet enim ſuas partes integrales, in quas dividitur: quare inter ſubſtantias ſpirituales non numeratur.

178. Belluis nulla ineſt cognitio, qua in ſuis agendis motibus dirigantur: omnes enim ſuas operationes perficiunt vi ſolius mechaniſmi.

179. Belluarum anima diverſa non eſt ab ea ſubtiliſſima, maximeque actuoſa subſtantia, quæ vitalium, & animalium ſpirituum nomine vulgo deſignatur.

§. XXVI.

DE RERUM ESSENTIA, ET EXISTENTIA.

180. Quoniam nihil eſt in re prius eo, per quod res ipſa eſt id, quod eſt, nihil eſt in re prius eſſentia; ideoq.

aeſ

definiri ſic optime poteſt: eorum omnium primum, quæ in ipſa re ſunt conceptibilia.

181. Rei eſſentia, & natura idem reipſa ſignificant, non eodem tamen modo conſideratum.

182. Exiſtere nimirum dicuntur quæcumque in rerum natura poſita ſunt; nam rem exiſtere eſt eam extra nihil reperiri.

183 Ens contingens non exiſtit per entitatem, ſive formam realem repiſa diſtinctam ab illius eſſentia, in eaque tamquam in ſubjecto receptam: quare eſſentia tam phyſica, quam methaphyſica non diſtinguitur realiter à ſua exiſtentia.

Imprimatur.
Dr. Ramires Rector.

M[illegible] inc., [illegible] #511
[illegible], 16 pp. [illegible]
[illegible]
HPK
[illegible] III/15